

allegato illo Salvatoris *Matth. v. 34. Nolite omnino jurare, Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non.* Verumtamen in casu necessitatis, seu magnæ utilitatis (ut puta, ad sui purgationem, vel probandam alterius innocentiam, aut tuenda sua, vel Ecclesiæ suæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter lædi possent, ac hujusmodi) bene possunt jurare etiam sacerdotes, ac religiosi.

28. *Christus, Matth., v. 34, prohibuit jurare per creaturas. Si tamen juretur per creaturas, servandum est juramentum.* — Dices: *Christus Dominus Matth. v. 34 et seqq. dixit nobis, Non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, etc. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: quod autem his abundantius est. a malo est:* ergo nunquam licitum est jurare. Resp. negand. consequent. Quia, ut optime declarat pontifex cit. c. *Etsi Christus*, h. t. prædictis verbis *Christus Dominus non prohibuit juramentum per Creatorem (nam et angelus legitur jurasse per viventem in sæcula sæculorum, Apocal. x. 6. et Apostolus quoque jurabat per Deum, cum Rom. i. 9. diceret: Testis est mihi Deus:)* sed quia juramentum est actus religionis, et patriæ, ut dictum n. 22. prohibuit jurare per creaturas, puta, per cælum, per terram, ac hujusmodi: «Ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia creatoris:» prout loquitur textus, et amplius probat Glossa ibid. §. *Creaturam*. Quamvis autem (subdit pontifex) non sit jurandum per creaturam, si tamen juretur per creaturam, servandum est juramentum, dummodo sit licitum, quod juratur: quia teste veritate, qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super illum.

29. *Explicatur dictum Salvatoris, Matth., v. 35. — Nec obstat illud, quod Salvator, ubi supra. subjunxit: Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non, etc.* Nam contra est: quia ipsemet *Christus Dominus legitur in Evangelio plus dixisse, quam ista verba, dum Lucæ, iv. 24 et 25. post illa verba, Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua, illico subjunxit: In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Helix in Israel, etc.* Unde patet illis verbis non prohiberi juramentum absolute, ac veluti per se malum, cum sit confirmatio veritatis; et si debite fiat, videlicet in veritate, judicio atque justitia, a Deo sit commendatum, *Jerem. iv. 2. et alibi. Quamvis prohibeatur frequens, et*

incauta juratio, utpote ex qua sæpe contingit perjurium, una cum aliis delictis, juxta illud *Ecclesiastici, xxiii. 12. jam allegatum: Vir multum jurans, replebitur iniquitate.*

30. *Juramentum est a malo: et quomodo?* — Neque ulterius urgent illa verba Salvatoris immediate subjuncta: *Quod autem his abundantius est, a malo est.* Nam Salvator non dixit, *malum*; sed dixit: *a malo*. Quia, quod amplius est, id quidem a malo est, videlicet ab incredulitate audientium (nam si isti crederent, opus non foret pluribus verbis, multo minus juramento) non tamen est malum, si debite fiat. Quinimo, licet juramentum sit a malo, juxta allegata verba Salvatoris, nihilominus est a malo, non tam culpæ, quam pœnæ; nec exhibentium, sed exigentium juramentum: nam horum incredulitas magis est pœna quam culpa. ut inquit pontifex in cit. c. *Etsi Christus*, h. t. Siquidem in statu naturæ læsæ, et exercente hominum malitia, simplici assertioni, vel negationi, vix creditur: imo locum habet illud *Ecclesiastici, xix. 4. Qui cito credit, levis est corde.*

31. *Jacob, v. 12, non prohibetur juramentum simpliciter, sed voluntas jurandi incaute, et sine causa.* — Urgebis. In Epistola canonica S. Jacobi apostoli, v. 12, dicitur: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, etc.* ergo nunquam licitum est juramentum, ponderando ly, *ante omnia nolite*. Resp. negand. consequent. Quia, uti declarat ly, *Nolite*, atque interpretatur Pontifex in cit. c. *Etsi Christus*. §. *Jacobus*. h. t. hisce verbis non simpliciter prohibetur juramentum, sed voluntas jurandi, videlicet incaute, et sine legitima causa. Siquidem ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas trahere importuna: et tunc potest quis sine culpa jurare id, quod cæteroquin est justum, ac verum.

§ II.

DE INTERPRETATIONE JURAMENTI ET CONDITIONIBUS EIDEM TACITE INEXISTENTIBUS.

32. *Juramentum est stricti juris, stricteque interpretandum.* — Queritur I. Quomodo juramentum sit interpretandum. Resp. I. Juramentum est stricti juris, stricteque interpretandum propter periculum animarum, atque ad evitandum perjurium. Ita Abbas c. *Clericus*. n. 2. h. t.; Suarez l. II. de *Jurament.* cap. xxxii. n. 7; Pirhing h. t. n. 102. cum

communi. Idque desumitur ex c. *Cum clerici*. 19. de *Verb. signif.* ubi juramentum a quopiam editum, stricte per Papam interpretatur. Accedit ratio, quia ubi de inducenda obligatione agitur, stricta debet fieri interpretatio, juxta c. *Odia restringi*. 15. de *Reg. jur.* in 6. cum similibus. Unde si quædam reperiatur obscuritas, juramentum interpretatur pro favore jurantis; atque illud, quod palam verbis expressum non est, censetur omissum, l. *Quidquid astringendæ*. ff. de *Verb. obligat.* ibi: «*Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimat ommissum esse, intelligendum est: aut certe secundum promissorem interpretandum.*»

33. *In foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis. Etsi de hac non constet, interpretatur stricte.* — Atque istud vel maxime procedit pro foro externo: nam in foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis, juxta illud I *Regum xvi. 7. Homo videt ea quæ parent. Dominus autem intuetur cor.* Unde D. Gregorius, relatus can. *Humanæ aures*. 22. q. 5. sic loquitur: «*Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intus proferuntur.*» Quod si tamen de ipsa jurantis intentione non constet, tunc etiam in foro animæ, ac pœnitentia, juramentum stricte est interpretandum, ob di ta n. præced.

34. *Solvitur instantia. Favor juramenti, et reverentia ipsi debita, in quo consistat?* — Neque obstat favor juramenti, atque reverentia eidem debita. Siquidem favor juramenti, ac reverentia ipsi debita, principaliter consistit in eo, quod sit verum, justum atque rationale; sicque habet tres comites suos, veritatem nimirum, judicium atque justitiam, juxta *Jerem. iv. 2.* Non autem, ut ad plura extendatur, atque in dubio ampliatur: quinimo, quo benignior fuerit interpretatio juramenti, eo facilius observabitur, magisque evitabitur ipsius violatio, seu perjurium.

35. *Juramentum præstitum circa materiam juris, interpretatur secundum dispositionem juris communis. Idque varie exemplificatur. Non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest episcopus novam Ecclesiam ædificare si populus ea indigeat.* — Resp. II. Quando juramentum est præstitum circa materiam juris (hoc est circa illa, de quibus jus ipsum quid

disponit) tunc illud est interpretandum secundum dispositionem juris communis, neque ultra extendendum. Ita Glossa in cap. i. §. *Declaramus*. h. t. n. 6; Innocentius c. *Per tuas litteras*. circa med. de *Arbitriis*, Abbas c. *Tua nos*. n. 4. de *Eccles. ædificand.*; Layman lib. IV. *Theolog. moral.* trac. III, cap. ix, n. 2; Pirhing h. t. n. 107. et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Tua nos*. 6. *Eccles. ædificand.* ubi non obstante juramento de rebus ecclesiæ non alienandis, potest episcopus novam ecclesiam ædificare, si populus ea indigeat: quia hoc ipsum est de jure communi, c. *Ad audientiam*. 3. eod. sicque juramentum illud episcopi est interpretandum juxta jus commune, ac proinde casus iste in juramento illo censetur tacite exceptus.

36. *Jurans in omni causa servare ordinem judicarium, non tenetur hunc servare in notariis. Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest ut non obviet juri.* — Concordat c. *Ad nostram*. 21. h. t. ubi jurans, quod in omni causa debeat observare ordinem judicarium, non tenetur vi juramenti ipsum servare in manifestis ac notoriis: siquidem spectato jure communi manifesta accusatione non indigeat, can. *Manifesta*. 2. q. 1. etc. *Evidentia. de Accusatione*. ac proinde etiam illud juramentum, utpote interpretandum secundum jus commune, casum hunc de manifestis non comprehendit. Accedit ratio ibidem allata: quia sic jurans «non habebat in mente, ut propterea veniret contra canonicas sanctiones: alioquin non juramentum, sed perjurium potius exitisset: nec esset aliqua ratione servandum.» Hæc pontifex pro interpretatione dicti juramenti. Ubi proinde Summarium ex Abbate desumptum, sic loquitur: «*Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest, ut non obviet juri; alias tanquam temerarium non obligat contra juris observantiam.*»

37. *Qui jurato promisit judicio sisti, potest, ex concessa causa, illud deserere.* — Huc etiam facit textus in l. ult. ff. *Qui satisfacere cogantur*, ibi: «*Qui jurato promisit judicio sisti, non videtur pejerasse, si ex concessa causa hoc deseruerit.*» Atque ratio horum generalis est: quia in quolibet juramento promissorio tacite subintelligitur, atque ipso jure inest conditio illa, «*Salvo jure, et auctoritate superioris*» (puta, supremi legislatoris), c. *Venientes*. 19. h. t. atque amplius n. 53. dicitur. Unde consequens est, quod juramentum conformiter menti legislatoris, per jus commune mani-

festatæ, interpretari debeat, ne alias veluti temerarium rejici debeat.

38. *Clericus qui juravit perpetuam residentiam potest in casibus a jure permissis abesse.*— Eadem conclusio amplius declaratur exemplis, atque casibus specialibus. Sic imprimis clericus, qui juravit perpetuam residentiam, potest in casibus a jure permissis abesse, v. g. pro servitio suæ ecclesiæ, c. *Ex parte*. 13. de *Cleric. non resident.* Vel ex causa infirmitatis, seu justæ et rationabilis corporalis necessitatis, cap. un. eod. in 6. cum similibus.

39. *Qui juravit parere juri, vel mandatis Ecclesiæ, potest ob injustum gravamen licite appellare.*— Deinde, qui juravit parere juri, vel mandatis Ecclesiæ, potest hoc juramento non obstante, si se injuste gravatum viderit, licite appellare, sicuti jure communi concessum est. Glossa communiter recepta in c. *Prout*. §. *Cautionem. de Dolo et contumac.* et Abbas ibid. n. 11. illud extendens ad eum casum, quo quis juravit coram judice respondere: adhuc enim (inquit) ex supervenienti causa poterit ipsum recusare; ut c. *Insinuante*. 25. de *Offic. delegat.*

40. *Et qui juravit consilium, vel secretum alterius nulli revelare, tenetur solummodo celare consilium ipsius honestum: non vero malum, et reipublicæ perniciosum.*— Ulterius, qui juravit consilium, sive secretum alterius nulli revelare, vi hujus juramenti solummodo tenetur celare consilium ipsius honestum: secus dicendum de consilio malo, ac reipublicæ pernicioso. Glossa in c. *Ego N. 4.* §. *Nulli pandam.* et Abbas ibid. n. 7. h. t. Qui tamen notanter addit, quod tunc ejusmodi consilium, seu secretum malum, non possit revelari omnibus (foret enim manifesta detractio, occultum crimen alterius sine legitima causa manifestare) sed illis duntaxat, quibus potest prodesse, et non obesse: puta, quia possunt sibi, aut reipublicæ præcavere a gravioribus malis.

41. *Juramentum de servando secreto, v. g. capituli, concilii, etc., qualiter sit intelligendum, atque obliget?*— Insuper juramentum de servando secreto (hoc est, de non revelandis illis, quæ in capitulo, concilio, etc. tractantur) est intelligendum juxta materiam subjectam, seu quatenus materia subjecta secretum postulat. Ita nimirum, ut si res magni momenti existat, valde intersit eam non evulgari, ipsius evulgatio perjurium, atque peccatum mortale inducat propter violatum juramentum: si autem fuerit res levis, solum veniale

peccatum inducat. Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. XIV. n. 5. Layman lib. IV. *Theolog. moral.* cap. IX. n. 2. citans alios.

42. *Juramentum promissorium in materia levi violatum, continet duntaxat peccatum veniale.*— Nec immerito; nam quod juramentum promissorium in materia levi violatum, contineat peccatum duntaxat veniale, sicut et violatio voti in materia levi, tenet Navarrus cap. XII. *Manual.* n. 11. Angelus §. *Juramentum*. 5. n. 41. Suarez tom. II. de *Relig.* lib. III. de *Jurament.* cap. XVI. n. 9. et seqq. Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. IV. n. 23. citans alios; atque ego ipse jam dixi in *Theol. moral.* tract. VI. dist. 2. n. 32. ea addita ratione; tum quia inter alias conditiones, quæ juramento promissorio tacite insunt, una est: « Nisi is, in cujus gratiam juratur, id remittat, » juxta dicenda n. 54. atqui nullus censetur rationabiliter velle obligare alterum sub gravi culpa ad præstandam rem levem, quam sibi promisit sub juramento; tum quia levitas materiæ etiam a mortali culpa excusat in voto, et aliis hujusmodi materiis.

43. *Juramentum episcoporum, canonicorum, et aliorum ad dignitates, vel officia promotorum, item juramentum capitulorum, collegiorum, universitatum, etc., jurantium servare propria statuta, qualiter interpretandum. Statuta hæc, sicut et juramenta ipsis apposita, interpretantur secundum jus commune; atque obligant juxta subjectam materiam mortaliter, vel venialiter.*— Et conformiter præmissis debet intelligi, atque interpretari juramentum episcoporum, c. *Ego N. 4.* h. t. relatum, item juramentum canonicorum, et aliorum in sua promotione ad certas dignitates, vel officia, speciale juramentum capitulorum, collegiorum, universitatum, aliarumque communitatum, jurantium servare propria statuta. Hæc enim, sicut et juramenta ipsis apposita, sunt interpretanda secundum jus commune; ac proinde sunt intelligenda, ut obligent juxta subjectam materiam, vel mortaliter, vel venialiter, vel etiam ad subeundam solam pœnam. Prout in simili habetur Clem. 1. §. *Item quia. de Verb. signif.* ubi pontifex expositorus ea, quæ in regula Fratrum Minorum sunt æquipollentia præceptis, istud desumendum censuit « ex vi verbi, vel saltem ratione materiæ de qua agitur, seu ex utraque. » Concordat c. *Exiit qui seminat.* §. *In primis quia.* vers. *Et dato. de Verb. signif.* ubi dicitur, quod absolute promittentes sanctum Evangelium observare, teneantur « ad

observantiam Evangelii sic, sicut tradita reperitur a Christo; videlicet, quod præcepta ut præcepta, et consilia ut consilia a promittentibus observentur. » Idem ergo dicendum de statutis juratis.

44. *Juramentum an sit interpretandum secundum intentionem jurantis, vel illud recipientis? Bona fide generaliter præstitum interpretatur secundum intentionem jurantis, nec extenditur ad incognita.*— Quæritur II. An juramentum sit interpretandum secundum intentionem jurantis, vel illud recipientis? Resp. I. Juramentum bona fide generaliter præstitum, est interpretandum secundum intentionem jurantis; non vero extendendum ad incognita, seu ad talia de quibus jurans in specie non cogitavit, et si in mentem venissent, verisimiliter excepisset. Ita Glossa c. *Veniens*. 16. §. *Præcivisset.* et Abbas ibid. n. 4; Joan. Andreas n. 9; Barbosa in collectan. n. 4. cum aliis h. t.; divus Thomas 2. 2. quæst. 98, art. 2. ad 3. istud exemplificans in eo, qui juravit facere voluntatem alterius: quia (inquit) in tali juramento intelligenda est debita conditio: « Si scilicet id, quod ei mandatur, licitum sit et honestum et portabile sive moderatum. » Layman cit. lib. IV. *Theol. moral.* tract. III. cap. IX. n. 3. Pirhing h. t. n. 109. et alii.

45. *Juramentum generaliter prolatum debet civili modo intelligi.*— Ratio est, quia « in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, » juxta reg. 81. jur. in 6. Ergo idem dicendum de promissione, etiam jurata; nam juramentum generaliter prolatum debet civili modo intelligi, I. *Si cui simpliciter.* ff. de *Servitutib.* sicque non est extendendum ad casus non cogitados, nimiumque graves, seu importabiles, I. *Quamquam.* juncta Glossa §. *Cogitasset.* ff. de *Ritu nuptiar.* Glossa et Abbas cit. c. *Veniens* h. t. Idem probatur exemplis.

46. *Idque exemplificatur.*— Sic in c. *Veniens*. 16. h. t. cum Atticus post offensam alteri illatam crederet se non commisisse tale quid, propter quod ei aliquod grave deberet imponi: sicque ad suggestionem aliorum bona fide jurasset, quod in satisfactionem injuriarum vellet obedire mandatis: Mævius autem illi sub juramenti debito præcepisset, ut nunquam intraret curiam ducis, cujus tamen idem Atticus fuerat consiliarius, ejusque servitiis juramento adstrictus. Re ad Papam delata declaratur juramentum Attici non esse servandum, eo quod repugnet alteri ju-

ramento prius per Atticum duci facto; et quia Atticus « nequaquam taliter jurasset, si mandatum illud sibi contrarium præcivisset; » prout loquitur ibidem textus in narratione facti.

47. Similiter, qui juravit stare mandatis alterius, si alter ipsi præcipiat, ut in pœnam illatæ offensæ filios et filias exhæredet, et a se propriam removeat uxorem, non tenetur servare tale juramentum, utpote ad incogitata se extendens, simulque præcipiens aliquid illicitum, c. *Quintavallis*. 23. h. t. juncta Glossa, et doctoribus ibid. Accedit ratio: quia in quolibet juramento promissorio tacite, atque ipso jure continentur quædam conditiones; videlicet, « Si potero; salvo jure superioris: Si res in eodem statu permanserint, » etc.; si igitur una harum conditionum deficiat, prout fit in casibus proxime relatis, aliisque similibus, ubi juramentum generale extenditur ad incogitata, seu nimis gravia, et de jure vel facto impossibilia observatu: tunc hoc ipso cessat obligatio juramenti promissorii in casu ejusmodi.

48. *Si jurans fuit in dolo, tunc juramentum ejus interpretatur, atque obligat juxta intentionem recipientis.*— Resp. II. Quod si vero jurans fuit in dolo, præstando v. g. juramentum sub verbis callidis, seu amphibologicis ad decipiendum eum cui jurat, tunc juramentum est interpretandum, atque obligat juxta intentionem recipientis: hoc est, juxta sanum intellectum illius cui juramentum præstatur. Ita sanctus Thomas 2. 2. q. 89, art. 7. ad 4; Navarrus, cap. XII. *Manual.* n. 13; Angelus §. *Juramentum*. 4. n. 1; Covarruvias in c. *Quamvis. de Pactis.* in 6. part. 1. § 5, n. 1. et 2; Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. X. n. 4. et n. 12. 13. et 14, citans alios. Conclusio hæc desumitur ex can. *Quacumque*. 22. q. 5. ubi ex sancto Isidoro sic refertur: « Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. » Quem textum procedere de juramento dolo, notat Archidiaconus ibid. n. 1. istud probans ex ly, « arte; » id est, fraude, calliditate seu versutia: ac sanctus Thomas, et alii, ubi supra istud confirmantes ex eo quod ibidem subditur: « Dupliciter autem reus fit, quia et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit: » sicque patet, ibidem sermonem esse de juramento dolo, seu ad alterum dolo capiendum præstito.

49. *Fraus et dolus, aliqui patrocinari non*